



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Murenulæ Sacræ Vestis Sponsæ Regis Æterni
Vermiculatæ Opus, De Privilegiis Ordinum Regularium**

Alviset, Virginius

Campidonaë, 1673

§. 5. De Clausul. supplentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62361](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62361)

possidebit infernus, ubi erit fletus, & stridor dentium. Intelligite hæc, qui consulitis principibus placentia, & vobis in futurum plurimum horrenda preparatis. Hactenus Rebuff.

§. V.

De Clausula: *Supplentes omnem defectum.*

SUMMARIUM.

- 1 Clausula *Supplentes*, quando adhibetur rescriptis.
- 2 Solet adjungi claus. plenit. potestatis.
- 3 Validat, quod ante erat invalidum.
- 4 Inducit dispensationem.
- 5 In multis non operatur, & seqq.
- 6 Quando habet locum, non operatur nisi in expressis.
- 7 Et ad effectum ut rescriptum recipiatur.

1 **H**Æc clausula solet adhiberi magis communiter, quando jura, vel privilegia innovantur, adhibeturque per viam plenitudinis potestatis, unde & moris est, ut ambæ hæ clausulæ conjungantur in rescriptis, seu privilegiis. Et tunc operantur validando privilegium, ut is cui conceditur, possit illo uti, non obstante, quod aliàs non posset propter aliquem defectum, qui intervenit in prima illius concessione. Et hoc qualiscunque fit ille defectus, modò juris positivi, quia omnes tales tolluntur virtute hujus clausulæ. *Clem. sæpè de verb. signific. v. ceterum de defectus.* Imò etiam si illi versentur circa substantialia actus, ut vult Alex. *conf. 79. vol. 1.* Unde Panor. *in cap. si quis de conf.* ait quòd hæc clausula facit validum, quod ante erat invalidum. Et ratio est, quia illà positâ, censetur dispensatum, ut monet Specul. *lib. 1. tit. de leg. §. 6.*

Secus autem dicendum de defectibus juris divini, aut naturalis, quia quoad illos clausula nihil operatur. *Clem. cit. sæpè & Clem. pastoralis de re ind.* Et Tusch. *to. 1. concl. 343.* Neque similiter quoad defectus surgentes ex causa naturali. Lancell. *in temp. lib. 1. cap. 1.* Neque quoad defectus substantiales. Vivian. *In pract. iur. lib. 13. c. 8.* (Intellige si procedant contra jus naturale aut divinum, aliàs locus erit opinioni Alexandri supra relata.) Neque quoad defectu causæ Barbof. *de claus. 177.* Neque demum quoad defectus qui concernunt personam supplicantis. Monet. *c. 7. de com. vult. vol.*

Quin etiam ubi hæc clausula verè supplet, non operatur, nisi in expressis, & specificatis defectibus, ut notat Lancell. *supra cit.* Unde v. g. si quis excommunicatus, bigamus illegitimus aut similem aliquem defectum patiens, illum tacuit in supplicatione, non suppletur per hanc clausulam, nisi rescriptum conceptum sit subtili forma, ut evidenter appareat Principem illum scivisse, & voluisse in illo dispensare. Specul. *supra cit.* Et Camban. *in tractat. claus.* Quibus addo, quòd quantum ad eosdem defectus, quos hæc clausula tollit, illos non tollit quoad omnia, sed tantum per ordinem ad privilegium, cui insertum est, & ad hoc ut is cui concessum est, illo utatur, quantum verò ad alia, & alios actus, nullo modo censetur habitatus, aut in suis defectibus dispensatus, & ita evidenter potest colligi ex ipso tenore Rescriptorum Pontificiorum.

